

Geschichte der Grundherrschaft Echternach im Frühmittelalter (Ed. Wampach) Nr. 83

Ego in Dei nomine Hilduwinus, ob Dei amorem et anime mee remedium, ut aliquantulum michi pius indultor relaxet scelera mea, dono ad monasterium vel ad sacrificium sancti Willibrordi petituram vinee I, ita ut custos vel provisor luminis et sacrificii post obitum meum predictam vineam in sua habeat potestate. Ad ecclesiam sancti Salvatoris dono I particulam vinee. Ad sanctum Mychaelem trado similiter I particulam vinee. Ad sanctum Petrum trado etiam IX vel X virgulas vinee in ea ratione, ut hi qui presunt predictis locis in missis et in vesperis res suprascriptas habeant sine alicuius contradictione. Meum itaque aliud predium, quod michi de meis parentibus evenit aut quod digno precio comparavi, dono cuidam viro Theodolfo uxoriue eius, filie mee; hoc est in villis Velspach et Arnenche, quicquid in his duobus locis habuisse dinoscor, id est tam terris cultis et incultis, totum et ad integrum trado iam dicto Theodolfo, eo ordine ut singulis annis ad lumen vel ad sacrificium sancti Willibrordi in vino aut in denariis aut in quacunque re V solidos persolvat. Preterea reddat ad prefatam ecclesiam totam decimam vini. Si quis illam ecclesiam scopis mundat singulis sabbatis, accipiat a prescriptis panem I in elemosinam meam. Post illorum vero mortem infantibus eorum censum persolventibus liberam habeant in omnibus potestatem concedendi. Si quis vero, quod fieri nullatenus opto, ego ipse, quod absit, aut ullus de heredibus meis aut ulla opposita vel extranea persona, que contra hanc traditionem vel donationem venire conaverit aut infringere voluerit, divine subiaceat ultioni et sanctum Willibrordum perpetuum habeat exquirem. Actum anno X regnante Karolo rege.